

buldam ad similitudinem, Johannis adventum expectarunt, qui Capitanei constitutione, Johanne Scalinate Centurione, cum suis militibus, ac equitibus nonnullis secum assumpto VIII. Kal. Februarii illuc ex Urbe proficiscuntur, nocteque pervenientes, arci, ut erat constitutum, adherent. Conjurati, clavibus, quas ad id veras imitati confecerant, tunc Portam aperuere, ac milites introducere. Cocchus autem id sentiens, in Turrim cum uxore, ac famulis quatuor confugit, totidemque recte pertransit. Aderant Senensium Praefecti, &, ut constitutum erat, viros quamplures ex vicinis Oppidis advocarunt. Ex Civitate verò cum suis Camillia Centurio advolvit, arcemque omnes circumsteteret, ne à quoquam Cocchus habere praesidium posset. Dum autem obsederetur, Castilioncelli Municipis Arcis Custodem Cocchi insigne praeserentes decipiunt, ac eo pacto intromittuntur: qua recepta cum Praefectis conveniunt, ut per certum temporis spatium Oratores suos ad Urbem mittant, ad conditiones cum Magistratibus obeundas: quibus compositis Angelus Martinozzius cum his ad Oppidum recipiendum mittitur Sarcheanum mox se dedentem sponte recipiunt VII. Idus Februarii. Inde verò redeuntes Castilionem, quod Oppidum prope Tintinnanum est ad jactus lapidis quatuor, per deditionem similiter ab Incolis post triduum sibi vindicarunt. Cocchus autem, cum se undique circumventum, nec aliunde evadendi sibi aditum videret, Franciscum Salimbenem Consanguineum suum per nuncium ex Urbe accessit, qui accepta fide publica, Matthæo Sabino comite, illuc se contulit, secumque de conditionibus, quas cupiebat, pertractavit, quas, Senas reversus, Magistratibus exposuit. At cum interim de Castilioncelli, ac Castilionis deditione nuncium esset allatum, nil de concordiae conditionibus actum est. Quamobrem Cocchus, cum undique obsessus subsidium nequaquam speraret, se liberè Senensi Reipublicae tradidit, in manus scilicet Jacobi Peccii, Petri Lanitini, & Jacobi Massaini, qui ad eam rem exequendam è Civitate missi fuerant; qui & arcem, & Oppidum recipientes, ipsum cum sua omni supellestili, ac pecunia, prout convenierant, dimiserunt, quibuscum Politianum se primo, ac deinde Florentiam contulit.

Praefecti verò, militesque Senas maxima cum laetitia rediere, insigne secum inter cetera, quod olim Salimbennii Senensibus ad Bocchegianum abstulerant, deferentes, Idibus Februarii: at arces reliquas ab eo praesidio destitutas sunt.

Pacatis jam undique Senensium rebus, Sfortia contra Brachium Montonium à Pontifice Maximo Martino in sui praesidium accersitus, è Neapolitano Regno cum Exercitu in Tusciam venerat, exules nonnullos Senenses secum ducens. Quamobrem cum Oppida, quae quondam de Senensibus possederat, repeteret, non parum his timoris injecerat; sed tandem à Brachio, Tartaliaque prope Viterbium profligatus, eos ingenti metu liberavit.

Pluviae ingentes hoc anno fuere à Septembris mensis initio ad totum Decembrem, ita ut praearum multitudine Valles quamplures, ac planities mergerentur, nec ul-

quam fuerit agrorum ferendorum locus. Ea de re maximopere de penuria, quae jam per quadriennium duraverat, formidabatur. Quamobrem maxima undique frumenti vis externa, Magistratu curante, advecta fuit; ita ut solidos triginta per totum annum sextarium non excefferit.

Saturnia Oppidum à Senensibus hoc anno receptum est; erat enim latronum refugium; & Cathelani Thelamonis Portum pretio à Senensi Republica conduxerunt, inque Senarum Civitate mercium suarum institores se praebuerunt.

Martinus Pontifex interea è Constantiensi Concilio reversus, Florentiae commorabatur. Ad eum Johannes XXIII. Schismaticus Pontifex sponte adveniens ut in Concilio constitutum fuerat Pontificatum deposuit. Venit & Brachius Montonium ejus inimicus, Florentinorum suavis, pacem secum & amicitiam inivitum, quam tandem Florentinorum Civium operâ composuit, ut parte earum rerum, quas de Romana Ecclesia occupaverat, restituta, parte verò sibi retenta, ejus stipendiis militaret. At cum Baldesar, quondam Johannes, ut diximus, Pontifex, in Cardinalatus tantum dignitate constitutus, plurimum à Florentinis observaretur, Brachiusque eorum amicissimus apprime diligebatur, Martinus malè ab his haberi coepit, ita ut etiam Cantilenam quaedam à pueris in ejus contemptum passim decantarentur. Quapropter illinc discedere instituit; sed à Florentinis diutius, quam voluerat, detinetur, multaque in eorum gratiam facere compellitur; inter quae Civitatem etiam Metropolitanam dignitate Archiepiscopatus ornavit. Ætatem totam sic Florentiae commoratus, initio Septembris mensis Romam profecturus, discessit; cumque prope Senam pertransiret, introire noluit, pestis epidemicae timore, quae in illa major, quam quòd verum esset, asserbatur: Verum Cunam, quae sex passuum millibus ab Urbe distat, se contulit, ibique honorifice susceptus, ac muneribus elargitus publice fuit per Oratores sex è Civitate missos, eumque per iter totum Senensis agri comitatus, quibuscum ad Arbia Pontem progressus, prandium à Jacobo Peccio privato sumtu splendide ac ornatissime paratum reperit, privati Civis splendorem maximum admiratus; quem cum ditissimum pensasset, pecuniam ab eo mutuam petere non dubitavit; illius enim indigentia, tamquam nuper in Petri Sede constitutus, premebatur. Quindecim itaque aureorum millia mutuo ab illo accepit, inque pignus Spoletanam arcem consignavit, ac discedens Romam profectus est.

Annona caritas maxima coepit urgere Civitatem; quapropter Senensis Respublica in Siciliam ad frumentum comparandum Mercatores misit; qui cum naves tres ipso onustas redeuntes ducerent, ubi ad Thelomonem appulere, maxima in Civitate laetitia signa prodita sunt. Attamen anno insequenti penuria inalescebat quotidie, ita ut ordeum, spelta, ac legumina tritico in pane conficiendo admiscerentur; nec tamen resisti potuerit, quin libris tribus sextarium venderetur: quod maximum his temporibus pretium habebatur.

Florentini cum Venetis hoc anno foedus inie-

